

Lettera patente di Carlo l'Illustre

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Lettera patente di Carlo l'Illustre

1324-12-9

Carolus Illustris Hierusalem, et Sicilie Regis Roberti Primogenitus, Dux Calabrie ac eius Vicarius Generalis. Secreto nostro Calabrie fideli Paterno, et suo Salutem et dilectionem sinceram. Scire te volumus quod Domino Fulconi, et Domino Gulielmo de Sinopuli fratribus Cambellanis, et familiaribus nostris Literas nostras concedimus tenore consequentiae subsequents. Carolus Illustris Hierusalem, et Sicilie Regis Roberti Primogenitus, Dux Calabrie, ac eius Vicarius Generalis. Universis praesentes Literas inspecturis tam praesentibus quam futuris, licet adiectione plenitudo non egeat, et firmitatem exigit quod est prius nec confirmatum quod robur obtinet, ut confirmationis sincera benignitas clareat, vel ut suffragium cautelae abundantis accedat.

Sane Dominus Fulco, et Dominus Gulielmus de Sinopulo fratres Cambellani, et familiares nostri, exposuere noviter coram nobis quod quondam Dominus Gregorius Zaccaria de Giracio consanguineus eorum in suo ultimo quod legitime condidit testamento, quodam tenimentum situm in quarterio Sancti Pauli, et tenimento Geracii consistens in bonis subscriptis cum hominibus, vassallis, iuribus, et pertinentiis omnibus eiusdem quod a Curia nostra tenebant ad censum sub annuo quodam censu uncie auri unius tarenorum quindecim, frumenti salmarum octo, et ordeï salmarum octo eisdem fratribus autoritate per excellentiam nostram sibi concessa legandi bona sua censualia salvo censu pro illis debito, suarum sanguinis affectione legavit, humilique supplicatione subiuncta ut pro abundantioris cautelae suffragio confirmare eis, et ipsorum heredibus tenimentum ipsum benignius dignaremur. Nobis autem trahentium dubium, et probabiliter agnoscentibus eum

tenimentum esse de demanio Curie dicte Terre Giracii, vel alias feudale, seu excadentiale, et non censuale sicut habebat ipsa expositio excellentie nostre facta, quedam inquisitio exinde sicut expedieres fuit per Secretum nostrum Calabrie tam vigore quarundam literarum nostrarum directas sibi ad insinuationem hominum dicte terre Giracii asserentium dictum tenimentum esse de demanio Curie dicte terre Giracii prout eisdem literis plenius continetur, quatenus autoritate Officii sibi concessi sub sigillo dicti secreti nostro conspectui extitit presentata, quarum quidem domino Iacobbo Frizze de Ravello Magister Regie Curie Magno Rationali, et domino Mattheo de Iuvenatio Curie Vicarie Regni Iudici Iuris Civilis Professoribus, Consiliariis, familiaribus, et fidelibus Paternis, et nostris inspicendum, et discutiendum commisimus, ac quodam Privilegium quondam Frederici olim Romanorum Imperatoris de concessione facta per eum de dicto tenimento quondam Georgio Zaccarie Patruo ipsius quondam dicti Georgii ante depositionem eiusdem, necnon aliis certis cautelis productis per fratres eosdem. Unde eis diligenter inspectis, et discussis nobis inde fecerunt relationem seriosam, predicto vero Dominus Iacobbus, et Mattheus mandatis nostris huiusmodi cum devotione parentes, dictis inquisitioni privilegio, et cautela, ipsis insuper aliquibus dubitarent, nostramque deinde consientiam informarent, tandem fuit consulte pro meliore provisum ut negotium ipsum, in examen reggii nostri consilii duceretur, quo factum est quod negotio ipso per idem consilium pleniore examinatione discusso post altercationes multiplices proinde in consilio ipso habitas, decretum extitit deliberatione consulta, nemine discrepante, quod tenimentum ipsum

secundum merita inquisitionis eiusdem, et contenta in dictis privilegium et cautelis, censuale noscebatur, et proinde ad dictos fratres ex legato huiusmodi rationabiliter pertinere. Nos igitur attentis iis et cum consideratione deductis eorumdem fratrum in hac parte iustis utpote supplicationibus suorum servitorum intuitu benignius inclinati, praedictum tenimentum cum hominibus, vassallis, iuribus, et pertinentiis omnibus, ut praefertur, eis, et ipsorum heredibus, et successoribus in perpetuum, subscripto census baiulis dicte Terre Giracii sicut consuetum est pro parte nostre Curie annis singulis exhibendo, tam dominica potestate quam habemus in Ducatu iam dicto quam vicariatus auctoritate qua fungimur abundantioris cautele suffraggio quod prodesse, non officere consuevit, de certa nostra scientia et speciali gratia tenore presentium confirmamus. Ordinantes, volentes, et iubentes expresse ut praesens nostra confirmatio eisdem fratribus, ac eorumdem heredibus, et successoribus vigore presentium efficaciter sic realis obtineat perpetui roboris firmitatem, praedistinto annuo censu et maiori ac maiori proinde observantia, aliisque nostre curie, et cuiuslibet alterium iuribus semper salvis. Predicta vero membra, in quibus consistit dictum tenimentum, hec esse dicuntur. Cultura una terrarum quae dicitur de Monodendri. Culturam media de Salvano, et partitam quae dicitur de Cardo, et de Spillitra. Cultura dicta Sfanatasto. Cultura dicta de Mazoma. Cultura quae dicitur de Sirleo. Cultura media dicta Laurina. Cultura media dicta de Guardesi. Para petia dicta de Salvano. Nemus quod dicitur de Pirano. Nemus quod dicitur de Sortia. Nemus quod dicitur de Castris, et de Canniti.

Et nemus quodam de Macriadenda, cum Vassallis, et Hominibus existentibus in eisdem.

In cuius rei testimonium, et predictorum fratrum, ac heredum, et successorum suorum cautelam, praesentes Literas exinde fieri, et pendente sigillo Vicarie, quo utimur, iussimus communiri. Datum Neapoli per dominum Rogerium Marchisium de Salerno hospicii nostri Iudicem Domesticum, Consiliarium, familiarem, et fidelem, Paternum, et nostrum. Anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo quarto, die nona decembris, none inditionis, regnorum dicti domini patris nostri anno septimodecimo.